DE INCISIONE

COMMISSURAE
GENITALIUM POSTERIORIS
AD EVITANDAS INTER PARTUM PERINAEI RUPTURAS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

N MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XII. M. APRILIS A. MDCCCXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

A. J. LEINVEBER,

BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

A. SEEMANN, MED. CAND.

D. NIETHE, MED. UTRQ. DR.

A. KOCH, MED. UTRQ. DR.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

Multa in modo rei et circumstantiis ejus nova sunt, quae in genere ipso nova non sunt.

BACO.

VIRO

ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
GENEROSISSIMO

COMITI
PAULO DE DOENHOFF,

FAUTORI ET PATRONO,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

SUMMAE PIETATIS

GRATISSIMIQUE ANIMI SIGNUM,

D. D. D,

AUCTOR.

LECTORI BENEVOLO S.

Quadriennio academico nunc absoluto mihi antiquo satisfaciendum est mori, scribenda dissertatio, defendendae theses. Cunctanti mihi diutissime quid praecipue eligerem hunc in finem, summa obvenit humanitate *Weise*, utrq. med. Doctor experientissimus, qui hoc tempore parturientibus in Caritatis Nosodochio succurrit, et maxime ad evitandas inter partum perinaei rupturas genitalium commissurae posterioris incisionem, novissimam et optimam mihi dissertationis edendae proposuit thesin. Arti obstetriciae praecipue operam navavi, libenter igitur hancce quaestionem ad illam artis medicae partem praestantissimam spectantem elegi.

Restat mihi adhuc L. B., ut *Weisio*, supra jam laudato, pro humanitate, qua multa in elaboranda quaestione mihi necessaria suppeditavit, publice summas agam gratias.

Ars obstetricia inter omnes universae medicinae disciplinas non solum summum studium postulat, discentibusque maximas offert difficultates ex practica artis exercitatione redundantes, sed etiam, licet viri doctissimi in illa excolenda omnem operam collocaverunt, illud praestantiae fastigium, quod ab absoluta arte jure exspectatur et desideratur nondum attigit. Negari non potest, saepius adhuc in exercenda arte obstetricia casus infelices et peccata observari, quae, si accuratius perscrutaris e sequentibus praecipue fontibus redundare videntur:

Primum enim multi medici obstetrices, de vita propria uteri omniumque partium, quarum auxilio foetus excluditur, doctrinam minime respicientes, neque uteri vim partus tempore tanti, quanti revera habenda est momenti, existimantes, partus ipsius naturalem decursum rerumque, quae durante illo apparent, certum et distinctum ordinem e causis mechanicis tantummodo declarare studuerunt.

Deinde etiam parum confisi sunt viribus vere immensis, multisque et magnis remediis, quibus natura non solum uterum, sed quascunque etiam partes eum adjuvantes, instruxit; et

Denique, quod maxime dolendum est, confiteri coacti sumus, artem obstetriciam longum per tempus a medicis omnino esse neglectam, et nunc quoque a multis viris exerceri, qui, omnium literarum expertes, non mente et ingenio — sed manibus solum agant.

Quibus e causis forcipum usus in arte obstetricia florebat, et praecipue *Levret* modum excedebat in forcipibus applicandis. *Levret* is fuit, qui, ad astra forcipum necessitatem tollens, discipulorum suorum catervam incitavit, ut quemcunque fere partum forcipis ope perficerent. Qua ratione maxima mala in arte obstetricia: foetus cranii fracturae, perinaei rupturae insanabiles aliaque acciderunt, quibus forcipum fama maculata est; usque ad id tempus, quo Illustr. *Wigand*, artis obstetriciae summus cultor, et in hac disciplina, vim medicatricem naturae ad difficultates removendas aptiorem esse demonstravit.

Vir ille celeberrimus, artis obstetriciae reformator, certamen literarium cum collegis iniens, primus auxilii artificialis abusum intellexit, quem in opere suo „Geburt des Menschen" hisce vitu-

perat verbis *). Ach wehe, wehe möchte man wohl über uns Geburtshelfer ausrufen, die wir die Stimme der Natur so lange überhören und so leichtsinnig, inhuman und unkünstlerisch verfahren konnten."

Ex quo tempore indicationibus auxilii artificialis ferendi stricte definitis, anno 1799 a Cel. *Michaelis*, medico Harburgensi, incisio commissurae posterioris prosperrimo cum successu facta est, in muliere triginta annorum, cujus perinaeum rigidissimum quatuor pollicum longitudinem habuit, quum foetus caput absolute nimium, cranii ossificatio jamjam abnorme progressa esset, et partium genitalium externarum rima duorum pollicum amplitudinem non superaret. Cujus aegrotae historiam postea enarrabo.

Per tres annos haec methodus oblivioni tradita erat, anno autem 1802 Michaelis in casu quodam altero, iisdem conditionibus coactus, perinaei incidendi periculum fecit, qua ratione prosperrimo successu partum finivit. Hos duos felices et nonnullos alios casus Michaelis artis obstetriciae cultoribus declaravit anno 1810., quo facto omnes fere medici et praecipue Cel. *Mursinna* **) methodum novam non modo rejiciebant,

---

*) Tom. I. pag. XXIV.

**) Mursinna's Journal für Chirurgie, Arzeneikunde

sed etiam valde vituperabant et auctorem studii rerum novarum futilium et obnoxiarum accusabant. *Mursinnae* viri Illustrissimi tantummodo hac occasione data mentionem fecerim, licet verba ejus rem nimis male censere mihi videntur:

„Welcher Unsinn zu rathen: den Damm „einzuschneiden, damit er nicht eingerissen wer-„de! Das heifst beinahe soviel als: den Mastdarm „durchschneiden, damit sich der Koth nicht an-„sammeln möge. Ist es möglich, dass Menschen „wegen Autor- und Erfindungssucht so gröblich „sündigen und solche offenbar schädliche Mittel „vorschlagen können, die den Stempel der Ver-„rücktheit tragen, und wahrlich von keinem ver-„nünftigen Manne nachgeahmt werden können. „Indessen erhellet hieraus, wie weit die Wuth „der, neuen Verbesserer in der Geburtshülfe geht „und dass man wahrlich alles anwenden müsse „um dieser Wuth zu widerstehen, und die „Kräfte der Natur wieder in ihre Rechte einzu-„setzen."

Illustr. *Wigand*, omnium solus experientia nondum edoctus operationem rejicere voluit, quia parvam incisionem rupturae totius perinaei praeferendam esse, intellexit, et sine ulla dubitatione

---

und Geburtshülfe, Tom IV., III. St. Pag. CL. Berlin 1812.

vulnus cultro factum, melius quam scissum sanari posse cognovit.

Multiplex occasio, quae medicis Nosodochii Caritatis Berolinensis in promtu est res medicas augendi, eorumque studium laude dignum res novas experientia iterum atque iterum explorandi et explorata in lucem proferendi, incitabat etiam virum Exp. Dr. *Weise*, hoc tempore medici obstetricii in Caritatis Nosodochio munere fungentem, ut altius inquireret illam agendi rationem, perinaei nempe periculo urgente incidendi, quoad, ut supra dixi, Cel. *Michaelis* proposuerat.

Priusquam autem rem ipsam pertractandam incipio, haud inutilis aliquid fecisse spero, si casum infaustum, qui experimento huic repetendo ansam praebuit, breviter antea enarravi: Puella quaedam triginta novem annorum, infirmiore laxaque corporis constitutione praedita, aetate infantili variolis febreque nervosa laboravit; deinde decimo tertio aetatis anno menstruorum profuse intrantium moliminibus superatis, semper bona valetudine gavisa est. Annum vero tricesimum nonum agens gravida facta, Nosodochium Caritatis, ut ab onere suo liberaretur, petiit. Dolores ad partum sub vesperem diei quarti M. Januarii, nullo modo strenui et vehementes, sed brevissimi potius exorti, foetu tan-

dem sequentis diei hora vespertina octava usque ad pelvis aperturam infimam progresso, omnino cesserunt, ita ut caput foetale per horas duas vaginam occuparet. Qua de causa et ob perinaei rigidissimi latitudinem, omnibus auxiliis manualibus frustra tentatis, ob dolorum defectum, rimaeque angustiam forceps secundum Ill. *de Siebold* applicata, partum ad finem produxit. Sed ruptura perinaei duorum pollicum vix evitanda, orta fuit, quae sphacelo mox affecta omnem curam et artem optimis adhibitis remediis repudiavit, ita ut aegrota, dilacerato perinaeo domum rediret.

Quatuor et quod excurrit hebdomades post absolutum illum infelicem partum, duae foeminae gravidae, ut partum absolverent, nostrum parturientium domicilium petierunt. Conditiones, postea a me enarrandae, Exp. Dr. *Weise*, ut methodum novam in usum vocaret, moverunt et ecce! prosperrimo cum eventu.

Quamvis bona perinaei sustentatione in partu difficili multum praestare, ejusque rupturam aut omnino evitare, aut saltem, quo minus sphincteres discindantur, impedire possumus, tamen in praxi casus atrocissimi interdum occurrunt, qui omnia auxilia, tam manualia, quam therapeutica, v. c. inunctiones, fumigationes, vapores etc., repudiant. Vix enim memoratu dignum

puto, *Whithaven* quendam *) contendere ausum esse: perinaei sustentationem, durante partu, nisi omnino rejiciendam, saltem auxilium semper incertum esse. Casus isti atrocissimi sunt, ubi forcipe adhibita, semper rupturae perinaei inevitabiles esse solent, et qui commissurae posterioris incisionem postulant. Haec impedimenta, quae a medicis semper indicationes applicandae forcipis *Smellianae* habita sunt, incidendi perinaei potius indicationes esse mihi videntur, qua de re eas explicare audeo. Omnes autem perinaei incidendi indicationes in duas dividi posse classes, existimo.

I. IN VITIA NISUS FORMATIVI.

A) Vitia, quae in perinaeo collocata sunt, eaque

a) perinaeum latius extensum, quod praecipue invenitur in foeminis, quarum situs genitalium externorum est anterior;

b) rigiditas perinaei nimia. Causae hujus rigiditatis et a constitutione robusta firmioreque, et ab aetate foeminarum provectiore pendere possunt.

---

*) El. v. Siebold „Ist es schädlich, das Mittelfleisch bei der Geburt zu unterstützen?" Frankfurt am Main 1825.

B) Vitia, quae in pudendorum rima existunt, eaque

a) partium genitalium externarum nimia angustia, praecipue apud foeminas nondum partum expertas obvia. Cel. *Michaelis* loco quodam enarrat, rimam se vidisse, quae a commissura anteriore usque ad posteriorem duorum modo pollicum longitudinem habuerit.

b) Hymen nondum exstinctum et structura firmiore praeditum.

C) Vitia, quae ad infantis caput pertinent, eaque

a) caput, si respicis ad genitalia externa, nimia est magnitudine.

b) Ossificatio abnorme progressa, eaque de causa fonticulorum diminutio, et ossium cranii immobilitas.

II. IN VITIA AUT LAESIONE AUT ALIO MORBO ACQUISITA, QUAE ET IPSA AUT PERINAEUM AUT PARTES GENITALES RESPICIUNT, QUIBUS ADNUMERAVERIM:

a) perinaei callositates a cicatrisatione ulcerum, condylomatum, et a rupturis jam antea factis et sanatis, ortae;

b) rigiditas commissurae posterioris, nata partim ab ulceribus syphiliticis sanatis, partim a fluore albo maligno per longum tempus durante, partim a commissurae posterioris rupturis male sanatis;

c) labiorum tam majorum, quam minorum morbi v. c., oedema seu telae cellulosae durities. Hi labiorum morbi introitum vaginae diminuunt, et durante partu foetus caput perinaeum versus agitant.

Omnes hae autem indicationes, licet bene a medico obstetricio iis respondetur, nihil fere adjuvant, doloribus ad partum plane deficientibus.

Quae cum ita se habeant contraindicationes adesse non possunt, nisi parturientis voluntas et cultri metus incisionem impediant De incisione ipsa ejusque cautelis a Cel. *Michaelis* pauca modo allata sunt, qua de re conabor conditiones fusius statuere.

Tempus incisionis semper in illo partus stadio constitui debet, quo partus usque ad periodum quartam prolatus est. Praecipue si dolores ob impedimenta supra enarrata caput foetus magis magisque vehementer perinaeum versus et inter labia pudendorum propellunt, ita ut perinaeum valde extendatur, et omnibus adhibitis adjumentis, v. c. inunctionibus, vaporibus et digitis in anum illatis, partus promoveri nequeat. Incisio ipsa, dolore ad partum cessante, facienda.

Locus. Nullo modo perinaeum ipsum incidendum est, sed potius commissura posterior vulvae.

Cautelae. Digito commissurae posteriori immisso, cum cultro curvato, quod a *Pottio* nomen gerit, dimidii aut unius pollicis incisio facienda; quo facto in omnibus hucusque cognitis casibus foetus caput natum est. Sanguinis profluvium non timendum, quia laesio levissima, et partes incidendae vasis majoribus carent. Dolores raro a puerpera sentiuntur, si incisio cultro acuto celerrimeque perficitur.

Hoc modo capite ad lucem prolato, et perinaei sustentatione more usitato facta, foetus humeri et reliquae partes sine perinaei ruptura mox subsequuntur.

Quod attinet ad vulnus ortum, per primam intentionem non sanatur, haec potius prohibea-

tur

tur necesse est. Multis etiam in casibus non continget, quum lochiorum effluxus, tam parvi vulneris granulationem magis impediat, quam adjuvet.

Haec pauca sunt, quae de incisione ipsa afferre possim, et jam meum erit, novae methodi demonstrare commoda, quibus forcipis applicationem superat. Si eaedem adsunt conditiones de methodorum variarum praestantia modo sermonem facere possumus, et in hoc casu concreto, si puerpera sub indicationibus, supra positis, doloribus ad partum non caret. Nam si dolores desunt, incisio frustranea operatio est, et hoc casu semper forceps in usum vocanda.

Incisionis commoda ex argumentis, quae sequuntur, elucent:

Primum nempe puerpera nullis fere doloribus afficitur, nam et incisio ipsa parvi momenti est, et partes incidendae compressae sensu carent. Praeterea dolores ad partum ita gravidam occupant, ut hanc laesionem vix sentiat.

Non minus haec operatio forcipis applicationi propterea quoque praeferenda est, quod incisione commissurae posterioris facta nonmodo tam partes puerperae genitales v c. vagina atque labia majora et minora, quam foetus caput minime contunduntur, sed etiam perinaei ruptura semper averti potest.

Quo modo autem fieri possit, quin incisio commissurae posterioris rupturam perinaei adjuvet, interrogabis? Sublata causa tollitur effectus, respondere audeo. Ruptura tensione tantummodo partium genitalium efficitur et incisione facta tensio remota est, qua de re ruptura oriri nequit. **Praeterea musculorum situs partium istarum tam firmus et a natura ad evitandam rupturam constructus est, ut auxilio artificiali insuper adhibito, vix rumpatur perinaeum.**

Ut autem has ex theoria desumtas indicationes et experientia comprobem et aliorum et meas afferam parturientium historias.

HISTORIA, QUAM *MICHAELIS* MEDICUS HARBURGIENSIS NARRAT *).

M. B. primipara, robusta constitutione, plethorica, annum trigesimum agens, gravida facta anno millesimo septingentesimo nonagesimo nono, hora quarta promeridiana diei decimi septimi M. Aprilis doloribus ad partum affecta est. Pelvi, justo majori, foetale caput ad pelvis aperturam inferiorem pervenit et septima hora ab obstetrice, velamentis ruptis, mox inter labia majora se ostendit, quo in loco optimis ad par

*) Cf. v. Siebold Lucina, Tom. VI. Volum. 1. Pag. 23. etc. Marburg 1810.

tum doloribus partium genitalium externarum angustia et rigiditate per horas tres retentum est. Obstetrix revera perturbata auxilium Cl. *Michaelis* petiit, qui aggressus gravidam in statu, quem enarrabo, invenit.

Parturiens in sella posita, facie rubra pulsuque frequenti, doloribus vehementissimis excruciata erat. Exploratio a Michaelis facta, capitis situm naturalem occupantis tumorem, et perinaeum valde extensum, dolens, rigidissimumque ostendit. Apertura foeminae naturalium a commissura posteriori usque ad anteriorem vix duorum pollicum extensionem habuit, ita ut acerrimis quamvis durantibus doloribus omnibusque adjumentis frustra tentatis caput nullo modo ad lucem proferri posset.

Omnibus vero remediis pinguibus ad emolliendum perinaeum frustra adhibitis, *Michaelis* digitis duobus in anum illatis, infantis caput eruere studuit, sed vehementer obstupefactus nudam ejus mandibulam attigit. et perinaei posteriorem partem versus anum duos fere digitos tansversos ruptam, anum ipsum vero integrum invenit.

Hac ratione ruptura perinaei completa, partu procedente, admodum timenda neque avertenda fuit, quum partes vicinae jam paene sphacelo affectae essent, foetusque caput circa axem suum verti et educi propter acerrimos cruciatus partu-

rienti ex compressione allatos, nequiret. Remedium igitur unicum, perinaei tensionem mox tollendi, fuit incisio commissurae posterioris; eaque cultro, quod a *Pottio* nomen gerit, longitudine unius fere pollicis vix facta, caput, funiculo umbilicali circa collum contorso, dolore sequenti in lucem propulsum est, quod paulo post etiam ceterae foetus partes, perinaeo non magis rupto, secutae sunt. Incisionem factam inter et rupturam pars unius pollicis remansit. Secundinis cum funiculo mox solutis et extractis puerpera omnibus molestiis liberata et laetitia plena lectum occupavit.

Michaelis rupturae posteriori maxima munditie, ad quam servandam injectionibus ex infuso florum chamomillae utebatur, lotio fistula cava educto et genubus puerperae connexis atque constrictis mederi studuit, incisionem vero factam ob partium genitalium angustiam, quum nova cicatrix in posterum tensionem certo auxisset, glutinari noluit.

Die M. Aprilis vicesimo partibus genitalibus exploratis, putredo labiorum majorum, quorundamque perinaei locorum orta demonstravit, incisioni cicatricem hoc temporis momento induci non posse, vulnus autem ruptum sphacelo occupatum, quam celerrime curandum esse.

Praeterea in explorando vulnere faeces involuntarie excretae inveniebantur, quam vis foemina flatus se retinere posse confirmaret. Succo citri statim superimposito et injectionibus ex decocto corticis chinae cum tinctura myrrhae immissis, postero die nonnullae partes sphacelosae et cultro et forfice removebantur. Quamvis clysmatis tali modo in anum infusi aliquid in vaginae ostium profluebat, tamen nequaquam ani et vaginae orificia invicem inter se congruerunt, sed retracto tantummodo intestino recto humoris aliquid per rupturam perinaei in vaginam profluerat. Super partes sphacelosas unguentum de styrace, spiritus terebinthinatus, pulvis corticis chinae conjiciebantur et die vicesimo quinto M. Aprilis vulnus purgatum, atque die quarto M. Maji puerpera omnino sana fuit.

In eadem foemina, iterum gravida, methodi propositae affirmandae, decem annos post denuo copia data est, quod eo minus exspectandum erat, quum partes genitales externae exploratione instituta nullum impedimentum afferre viderentur, neque perinaei sphacelo destructi, tam perfecta sanatio et restitutio sperari posset.

Pariendi labores die septimo M. Februarii a. 1809. initium ceperunt horaque matutina octava,

qua Cl. *Michaelis* ad parturientem arcessitus est, foetale caput, pelvi bene satisque ample formata, jam in pelvim minorem propulerant, occipite praevio et ossibus bregmatis paululum ad sinistrum latus conversis. Uteri orificium plane diductum et distorsum, velamenta capiti stricte adjacentia reperta sunt, ita ut aquae jam effluxisse viderentur. Partu mitioribus jam uteri contractionibus, brevibus intervallis redeuntibus, ita provecto, gravida in sella posita, post dimidiam fere horam velamenta tenuia levi modo digito tacta rupta sunt, humores pauci emanarunt. Quum caput sensim optimoque modo ad partes genitales externas descenderet, et ibi quoque facile moveri posset, quum et ossa ejus magnam mollitiem amplosque, ut videbatur, fonticulos praeberent, fore ut partus brevi absolvatur, sperari licuit. Tamen fonticuli ipsi non tam erant ampli, sed accurata capitis disquisitio post partum instituta, ostendit, partem quandam ossis bregmatis sinistri mollissimam, materia ossea carentem, qualis quoque in latere sinistro ossis occipitis reperiebatur, pro fonticulo majori habitam fuisse, et insuper funiculum circa foetus collum flexum causam retardati partus habuimus. Perinaeum contra, quod cum infantis caput in eo insisteret, duos pollices et dimidium patuit, vehementissime obstitit; vulnus ejus in priori partu incisione illatum, penitus

sanatum levem modo cicatricem reliquerat, quamvis curatio non adjuta remediis, sed potius prohibita; imo commissura quasi nova orta et propterea etiam vaginae orificium admodum angustum inveniebatur. Olei inunctiones ad minuendam partus moram nihil valuerunt, et conditionibus memoratis, laboribus acerrimis acceleratis, perinaei ruptura, quum caput non amplius comprimi posset, et si potuisset, brevis tantummodo ejus diameter hac re diminutus fuisset, maximopere timenda erat. Perinaeum itaque per dimidium fere pollicem incisum est et foetus caput sequente dolore sine ulla alia matris laesione propulsum, idque mox humeri secuti sunt.

Funiculus umbilicalis semel circa collum contorsus tam longus erat, ut foetus exclusionem non impediret. Secundinae ipsae post quartam circiter horae partem jam separatae et in vagina haerentes extractae sunt, totusque partus duabus horis absolutus.

HISTORIA PRIOR, QUAM EXP. DR. *WEISE* IN NOSODOCHIO CARITATIS OBSERVAVIT.

C. M., ancilla, primipara, viginti octo annorum, temperamento phlegmatico, constitutione laxa, habitu scrophuloso praedita, prima aetate semper sana, anno vitae sexto variolis correpta est. Anno decimo sexto aetatis catamenia profluere coeperunt semperque optimo cum successu fluxere. Gravida Caritatis Nosodochium nono die M. Januarii anno 1827, ut fructum in lucem ederet, petiit. Pelvis ejusdem has mensuras praebuit: apertura superior quadraginta sex gradus inclinabatur, spinas anteriores superiores ossium ilei decem, trochanteres majores duodecim a se invicem, ossiumque pubis symphysis ab ultimae vertebrae lumbalis processu spinoso septem pollices et dimidium distabant. Diei secundi M. Februarii tempore vespertino primis iisdemque optimis ad partum doloribus gravida affecta, nihilominus vero partus lente modo progressus est, et quarto demum die mens. Februarii ad periodum quartam pervenit, quo foetale caput adversus perinaeum propulsum est. Quamvis perinaeum ante partum duorum modo pollicum extensionem habuit, tamen durante partu ad quatuor pollices extendebatur. Quum

caput, omnibus adhibitis adjumentis, educi non posset, locumque hunc modo dictum per horas duas et dimidiam occuparet, doloribus fere cessantibus Exp. Dr. *Weise* methodi a *Michaelis* propositae memor et persuasus forcipis applicatione permagnam ortum iri rupturam, digito commissurae posteriori supposito scalpro *Pottiano* unius fere pollicis incisionem fecit. Neque spes eum refellit, sequente enim dolore foetus caput perinaeum superavit et paulo post etiam humeri ceteraeque partes cum placenta et funiculo umbilicali, semel circa collum contorso, secutae sunt. Ruptura autem non orta, puerpera omnibus doloribus carens in lecto posita est.

Hoc in casu impedimenta partus perficiendi in parturientis tantummodo naturalium constructione quaerenda sunt, quum foetale caput quod ad diametros ejus attinet bene formatum fonticuli consueta magnitudine essent et ossa cranii facile moveri possent. Filia nata syncope affecta mox ad vitam rediit. Mater durante puerperio bona valetudine gavisa est commissurae posterioris incisio, cujus cura remotis modo rebus noxiis soli naturae permittebatur usque ad dimidiam partem glutinata, et quinto die M. Martii Nosodochium reliquit aegrota.

HISTORIA ALTERA, QUAM EXP. DR. *WEISE* IN NOSODOCHIO CARITATIS OBSERVAVIT.

J. W. puella constitutione scrophulosa, corporis structura brevi, admodum rudis et paene stupida, partum nondum experta et inde ab anno aetatis decimo quinto, quo menses intraverunt, fere semper secunda valetudine usa, annum agens vicesimum quintum impraegnata in Nosodochium Caritatis se contulit. Pelvis omnino bene constructa fuit. Calendis Februariis dolores ad partum, sed mitissimi initium suum, ceperunt, tali modo, ut per tres dies partus in periodo prima remaneret. Labores denique sensim sensimque et porrectis quibusdam tincturae cinnamomi guttis frequentia et vehementia aucti hora tertia post meridiem diei quarti M. Februarii infantis caput ad os vulvae compulerant. Perinaeum valde tensum quatuor fere pollices in latitudinem patens et labia majora oedematosa vaginae exitum magnopere imminuerant.

Inunctiones et sustentatio ad partum accelerandum frustra impensae sunt, foetus nequaquam expelli potuit. Exp. Dr. *Weise* sub iisdem conditionibus, eandem quoque agendi rationem indicatam esse, ratus, incisionem unius

pollicis fecit, infans statim perinaeo haud amplius scisso, natus est. Puerpera ab omni periculo libera somno se tradidit. Vulneris lotionibus ex infuso florum chamomillae factis post hebdomades quatuor, incisionis dimidia pars granulatione expleta reliqua autem glutinata erat. Mater die quarto M. Martii optime valens e Nosodochio dimissa est.

CURRICULUM VITAE,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Quittainen, Borussiae orientalis vicum, haud procul ab oppido *Pr. Holland*, paternum agnosco. Ibi ego *Adolphus Julius Leinweber* natus sum Calendis Aprilis anno millesimo octingentesimo quarto a patre *Bernhardo Leinweber*, agriculturae dedito et matre *Susanna* e stirpe *Just*, quos parentes dilectissimos deus optimus maximus utinam in longaevum mihi conservet. Literarum elementa primoribus labris gustavi a viro carissimo, nec non familiaritatis interioris vinculis mecum conjuncto doctissimo *Knauth*. A. 1814 *Regimontium* petii, ubi in sororis domicilio receptus, ab ejus marito Dr. *Ebel*, ecclesiae parochialis pastore dignissimo, paterno amore ad religionis Christianae fontes adductus sum, et rudimentis literarum sum imbutus *in* gymnasio Fridericiano, in quo prae ceteris nunquam e memoria mea delendis aestumatissimis praeceptoribus, Vir Cel. *Gotthold* fon-

tes altiores mihi reclusit. Medicinae vero amor tunc temporis jam tenuit animum juvenilem, quo permotus eo libentius arripui occasionem per receptionem in Institutum medico-chirurgicum clementissimi regis *Friderici Guilielmi*, cupiditate flagrans satisfaciendi. Quatuor per annos ibi versatus eruditissimorum virorum doctrina edoctus sum hac ratione.

Hodegeticen, mathematicen, logicen et psychologiam tradidit Cel. *Wolff*; botanicen, historiam naturalem, pharmacologiam et cryptogamiam Illustr. *Link* exposuit; de chemia, pharmacia, physice Cel. *Turte* et Illustr. *Hermbstädt* disseruerunt; praelectionibus interfui Illustr. *Rudolphi* de encyclopaedia medica, anatomia universa, comparativa et organorum sensuum, physiologia tam generali quam speciali; osteologiam, syndesmologiam, splanchnologiam, doctrinam de formulis medicinalibus concinnandis et anthropologiam forensem Illustr. *Knape* me docuit, qui simul cum Illustr. *Rudolphi* in arte cadavera dissecandi me instituit. Exercitationes disputandi et Celsi libros de medicina interpretandi Cel. *Hecker* est moderatus. Et physiologia generalis et specialis Cel. *Eck*, pharmacocatagraphologiam, exercitationibus in officina practicis conjuntam Cel. *Casper* exposuerunt; pathologiae specialis et morborum mentis doctrinae Illustr. *Horn*, pathologiae generalis, therapiae generalis et specialis, semiotices Illustr. *C. W. Hufeland* et Illustr. *Fr. Hufeland* praeceptoribus gavisus sum; chirurgiam generalem, artem fascias imponendi, doctrinam de ossibus fractis et luxatis et artem obstetriciam exercitationibus gravidas explorandi conjunctam Illustr. *Kluge*, chirurgiam specialem Illustr.

Rust; ophthalmiatricen Cel. *Jüngken* et akiurgiam Illustr. viri *Kluge, Rust* et *de Graefe* me docuerunt. Adfui exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis Illustr. virorum *C. W. Hufeland, de Graefe Rust, Neumann, Kluge.* Quibus omnibus praeceptoribus fautoribusque, quod gratias agendi mihi contigerit opportunitas ex intimo animo laetor.

Hisce studiis peractis per annum in Nosodochium Caritatis Berolinensis medico chirurgi inferioris munere functus sum.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate superatis, spero fore, ut dissertatione conscripta, riteque defensa, summi medicinae atque chirurgiae honores in me conferantur.

Quo facto Regimontium, ut munere fungar cohortis medici inferioris, jussus sum, me conferre.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Laryngotomia et tracheotomia in angina membranacea rejiciendae.

II.

Symphysiotomia in arte obstetricia vanis operationibus adnumeranda.

III.

Delirio trementi nil nisi magna copia opii convenit.

IV.

Viri obstetrices praestantissimi.

V.

Viri a foeminis in morbis superantur tolerantia.